

VERSION LATINE 5

SALLUSTE, *La Guerre de Jugurtha (Bellum Iugurthinum)*, 41-42

Quand la paix est pire que la guerre...

[41] (1) Ceterum mos partium et factionum ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romae ortus est otio atque abundantia earum rerum quae prima mortales ducunt. (2) Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant, neque gloriae neque dominationis certamen inter ciuis erat : metus hostilis in bonis artibus ciuitatem retinebat. (3) Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea quae res secundae amant, lasciuiia atque superbia, incessere. (4) Ita quod in aduersis rebus optauerant otium, postquam adepti sunt, asperius acerbisque fuit. (5) Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem uortere, sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt ; res publica, quae media fuerat, dilacerata. (6) Ceterum nobilitas factione magis pollebat ; plebis uis soluta atque dispersa in multitudine minus poterat. (7) Paucorum arbitrio belli domique agitabatur ; penes eosdem aerarium, prouinciae, magistratus, gloriae triumphique erant ; populus militia atque inopia urgebatur ; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. (8) Interea parentes aut parui liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. (9) Ita, cum potentia auaritia sine modo modestiaque inuadere, pollueret et uastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitauit. (10) Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt qui ueram gloriam iniustae potentiae anteponerent moueri ciuitas et dissensio ciuilis quasi permixtio terrae oriri coepit.

[42] (1) Nam postquam Ti. et C. Gracchus, quorum maiores Punico atque aliis bellis multum rei publicae addiderant, uindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere coepere, nobilitas noxia atque eo perculsa, modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimouerat, Gracchorum actionibus obuiam ierat ; // et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Gaium, tribunum alterum, alterum triumuirum coloniis deducendis, cum M. Fuluius Flacco ferro necauerat. (2) Et sane Gracchis cupidine uictoriae haud satis moderatus animus fuit. (3) Sed bono uinci satius est quam malo more iniuriam uincere. /// (4) Igitur ea uictoria nobilitas ex libidine sua usa multos mortalis ferro aut fuga extinxit, plusque in relicuom sibi timoris quam potentiae addidit. Quae res plerumque magnas ciuitatis pessum dedit, dum alteri alteros uincere quouis modo et uictos acerbius ulcisci uolunt. (5) Sed de studiis partium et omnis ciuitatis moribus si singillatim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deseret. Quam ob rem ad inceptum redeo.